

Urkunde Nr. XCV vom 18.03.1325

Otto IV. comes Ravensberg, cum uxore, filiabus & fratre suo Bernhardo vendit decimas
varias in parochia Halle sitas ad usus duarum vicariarum in ecclesia maiori Osnaburg.
d. 18. Mart. MCCCXXV.

Otto vir nobilis comes de Rauensberghe, Margaretha comitissa, Hadewigis & Margaretha filie libere & vere heredes coniugum eorundem. Unieursis presentia visuris & audituris salutem & notitiam veritatis. Noueritis quod de bona voluntate & expresso confensu domini Bernardi prepositi ecclesie Osnaburgensis fratris nostri comitis iam dicti decimam nostram dictam in den **Egbergheshagen**, videlicet domorum & casarum infra scriptarum, scilicet Sibrackti, item Godefridi then Wischus, item Ottberti, item Ludolfi thor Intkemolen, item Johannis qui dicitur Mackeber, item Lubberti thor Scharumphart, item relicte cuiusdam qui dicebatur Vulpes, item Rheineri thon Honlich, item Johannis Rodeman, item Johannis thon Rysberghe, item Alberti Seghewweinck, item mansum quem colit vir pertinens Henrico de Stenhuissen, item mansum quem inhabitauit quidam dictus Merentop. Item mansum unius qui dicitur Herekoren. Item Dangmari open Hartenlande. Item Henrici Cleuemann, item Rodemannesche. Item Volquini, item Leffhalini, item Johannes viciui sui, item Euerhardi Mildinch, item Godefridi vicini sui. Item Brunonis ther Stenbeke, una cum decimis minutis ac aliis suis iuribus ac pertinentiis quibuscunque, prout eas ab ecclesia Osnaburgensi tenemus in feodo, in parochia Halle sitas, venerabilibus viris preposito & decano & capitulo eiusdem ecclesie Osnaburgensis ad usus Bernardi de Dinckelage & Cunradi de Linghe vicariorum ecclesie Osnaburgensis predictae nomine beneficiorum suorum ad duodecim annos continuos a festo Michaelis ex nunc proxime affuturos rite & rationabiliter vendidimus pro centum & octoginta marcis ad Conradi, & octoginta ad Berenhardi vicarias pertinentibus, nobis traditis & assignatis in pecunia numerata & integre persoluta, ita tamen ex speciali gratia & fauore nobis indultis annis singulis infra huiusmodi duodecim annos supradictos prefatas decimas cum suis iuribus & preposito decano & capitulo memoratis infra festum beati Michaelis archangeli & dominicam qua cantatur Letare, dummodo ipsis in eodem festo beati Michaelis preintimemus & dicamus, licite possimus reemere quando & quotiens nobis aut nostris veris heredibus videbitur expedire, pro eisdem centum & octoginta marcis denariorum legalium prenotatis. Sed si infra terminos prescriptos non reemerimus decimas predictas, extunc vicarii prenotati fructus & obuentiones illius anni integre percipient & habebunt. Si autem nos vel nostri ipsas decimas infra duodecim annos predictos reemere neglexerimus, extunc ad vicarias predictas jure hereditario permanebunt. Preterea fide data & in solidum una cum domino Berenhardo germano nostro preposito antedicto promisimus & promittimus in his scriptis quod ante festum beati Jacobi apostoli proxime nunc venturum coram reuerendo in Christo patre ac domino Osnaburgensis ecclesie episcopo domino feodi nos & nostre heredes prenominata una cum Berenhardo preposito germano nostro iam dicto personaliter comparere debemus, dictas decimas cum suis iuribus ad usus vicariarum predictarum, prout moris est, pure & simpliciter resignando. Promittimus etiam modo prehabito ipsis plenam & debitam warandiam facere, & omnem defectum seu dampnum, si quem vel quod per nos vel nostros in premissis sustinuerint, adimplere debeamus quando & quotiens fuerimus requisiti, promittimus nihilominus ut supra quod fructus & obuentiones decimarum predictarum collectos singulis huiusmodi duodecim annis dictis vicariis & eorum successoribus curribus nostris ipsis sufficientibus ad ciuitatem Osnaburgensem sub nostra securitate & conductu & omnium pro nobis facere & dimittere volentium integraliter transmittimus. In cuius rei testimonium nos comes & comitissa pro nobis ac nostris filiabus prenominatis sigillis nostris una cum sigillo Berenhardi germani nostri sepedicti dictis preposito decano & capitulo nec non eorum vicariis presatis & eorum successoribus presens scriptum tradidimus communitum. Et nos Berenhardus prepositus antedictus frater comitis memorati recognoscentes omnia & sigula premissa esse vera, & ea ut premissum est fide data & in solidum cum eodem comite adimplere, in his scriptis promittentes sigillum nostrum duximus presentibus apponendum in testimonium premissorum.

Datum & actum in cinitate Osnaburgensi anno Domini M. CCC. vicesimo quinto, feria secunda post dominicam, qua cantatur Letare.